


LONDINI
Excuſum impenſis *I. Marriot* & *I. Griſmand.*
1 6 2 5.

ELEGIA

DE

Admiranda clade centum Papiſtarum tempore concionis veſpertinæ habitæ *Londini* juxta domum Legati Gallicani: ubi olim erat domicilium Fraterculorum atratorum: Anno 1623. Octob. 26. ſtylo vetere, & Novemb. 5. ſtylo novo.

Præcipua Capita tractata in hac Elegia.

1 Prædicatio ſapientiæ & æquitatis divinæ in hoc opere judicii ſui.

2 Abſtinentia à perſonali cenſura.

3 Fundamenta ſympathiæ noſtræ.

4 Amica cenſura de ſalute animarum.

5 Revocatio Papiſtarum ad pœnitentiam propter convitia in noſtros Doctores, & machinationes in impediendâ Euangelii prædicatione.

6 Liberationes Eccleſiæ, & earum revelationes factæ tempore veſpertini ſacrificii.

7 Illuſtratio hujus cladis ab exemplis Scripturæ.

8 Maledictio irrevocabilis in loca monaſtica.

9 Corruptelæ in doctrina pontificia perſtringuntur.

10 Ingratitudo Proteſtantium in tanta Euangelii luce.

11 Gratulatio propter cenſuras curiales in ſummos officiarios.

12 Exhortatio ad omnes ordines de omnibus pietatis officiis.

Georgius Buchananus. Pſal. 137.

AT tu quæ noſtræ inſultavit læta ruinæ,
Gentis Idumeæ tu memor eſto pater.
Fœlix qui tenero conſparget ſaxa cerebro:
Reddet ad exemplum qui tibi facta tuum.

---

1 Cor. 14. 26.

Quid faciendum eſt fratres mei cum convenitis? quemadmodum unuſquiſque habet pſalmum, vel doctrinam, vel linguam, vel revelationem, vel interpretationem, omnia fiant ad ædificationem.

Ad Lectorem.

Exiguo quod mens Epigrammate condere cœpit,
Fit, dum ſcribendi ducor amore, Liber.
Sic amor & ſtudium Lectoris creſcat in horas
Scriptori pretium grande laboris erit.

Incerti Autoris.

Roma diu titubans, longis erroribus acta,
Corruet, & mundi deſinet eſſe caput.

SI qua celebrari ſollenni more meretur,
  A non ingrata poſteritate dies:
Quinta dies non eſt obliviſcenda Novembris;
  Sive ſtylo veteri ſive notata novo.
Illa dies morti proceres adjudicat Anglos:
  Damnatos morti liberat illa dies.
Tale nihil metuens uno prope concidit ictu,
  Princeps, Nobilitas, & Generoſa cohors.
Illa dies populos ad inania ſacra vocabat:
  Intentos ſacris perdidit illa dies.
Nil odii hoſtilis, nil tanto in funere fraudis:
  Eſſe ſuum Deus hoc ipſe fatetur opus.
Iudicis hoc opus eſt, mortem qui morte rependit:
  Reddit ad exemplum qui mala facta ſuum.
Adſpicit Omnipotens oculis mortalia juſtis:
  Artifices ſceleris dum capit arte ſua.
Convocat hic nubes, & in ordine ſydera ponit:
  Dantq; Creatori, cuncta creata decus.
Ligna lapiſq; ſuas dantes in fœdera dextras,
  Hos perimunt, quorum numina, ligna, lapis.
Quos dolus humanus docuit ſufflando necare,
  Tartara divinus mittit ad ima furor.
Lapſa repente domus lacerat crudeliter illos;
  Quorum crimen erat lapſa repente domus.
Lapſa domus lapſos, longiſq; erroribus actos,
  Obruit, & morbo par medicina fuit.

Hoc ſemen pietas fuco perfuſa ſerebat :
Hæc meßis tali ſemine digna fuit.
Fallere diſcentem fallunt ſubſellia plebem :
Quos ſacra non docuit pagina, pœna docet.
Infœlix cerebro conſpergit pulpita Paſtor;
Dum cerebri ſuadet ſomnia vana ſui.
Se dedignantur temerari mœnia; tantum
Non impune ſinit crimen abire locus.
Se dedignantur temerari Sabbata, tantum
Non impune ſinit crimen abire dies.
Ne tibi ſit ſummi mirabilis ira tonantis :
Neſcia compeſci finibus ira ſuis.
Non illi virtus non ſtat ſua gloria parvo :
Gloria dilecti ſanguine parta ſui.
Scilicet in ſacris offenſa levißima rebus,
Criminis atrocis pondus & inſtar habet.
Hoc immane nefas multum reſonante flagello
Plectitur, & juſtum præterit ira modum.
Perſonis, didici vitiis inſiſtere ſalvis :
Perſonas pietas lædere velle vetat.
Fas & jura jubent ſubſcribere numinis iræ :
Iura jubent eadem fata dolere virûm.
Molle cor humano generi natura fatetur
Se dare, cui lachrymas fundere poſſe dedit.
Conjungit nos una fides, baptiſmus & unus,
Teſtamur triplici nomine numen idem.
Biblia nos eadem manibus verſamus amicis,
Ejuſdem templi ſancta caterva ſumus,

Vitiis

Vitis ad exemplum fructum præbentis & umbram;
Principis ejuſdem nos pia cura fovet,
Nos mare cingit idem, ſævoq; tuetur ab hoſte,
Patria progeniem nos vocat una ſuam.
Non fugit à noſtris pietas fraterna medullis:
Credimus hoc fato nos quoque poſſe premi.
Convenit hæredes mortis deflere ſepultos,
Et non immemores funeris eſſe ſui.
Chriſtus amans hoſtes, hoſtes & amare miniſtris
Mandat, & officiis conciliare piis.
Morte quòd à tanta tanto ſumus ære redempti,
Quæ nos & qualis vita pudica decet!
Non fas eſt homini partes ſibi ſumere ſummi
Iudicis, & puteal ſcandere velle Dei.
Stulte, quid alterius intentas crimina ſervo?
Regis ad arbitrium ſtatq; caditq; ſui.
Quis ſcit an immeritam dedit hæc vindicta ſalutē?
Duxit & ad ſuperos hæc via ſtricta lares.
Progenies Vſſæa domum pulſantibus auſtris,
Sic cadit, ut ſtaret non labefacta fides.
Neſcit pulſa notis velli radicibus imis,
Æterno verbi ſemine nata fides.
Te licet interimat, non eſt metuendus Ieſus:
Cujus morte fuit vita redempta tua.
Sæpe Deus veniam ſumma largitur in hora:
Tempora divinum nulla morantur opus.
Pœnitet ægrotum media dum morte tenetur:
Pœnitet in vitiis conſenuiſſe ſuis.

Gallia ſcinde comas, Hiſpania ſolve capillos;
Hæc vos ad luctum ſæva ruina vocat.
Triſtis uterq; ſuas redeat legatus ad arces,
Et cauſa & tanti teſtis uterq; mali.
Deſine dente tuo Ieſuita ferire Prophetas,
Vincere quos calami dexteritate nequis.
Deſine mille dolis incautas fallere mentes,
Flectere quas neſcis ſimplicitate tua.
Deſine grande loqui, perflat ſublimia ventus,
Summa petit fulmen, diſsipat alta Deus.
Te ſemper tenuit ſitis importuna cruoris,
Arida nunc proprius proluit ora cruor.
Hoc erat in votis ſacra veſpertina fugare;
Concio cum precibus ne foret ulla ſacris.
Fulmina de manibus noſtris dum tollere tentas,
In caput hæc redeunt fulmina miſſa tuum.
Vota valent meliora, cadit Golia ſuperbus.
Excutit & ſociis anxius arma timor,
Omnia jam fiunt, fieri quæ legimus ante.
Tot ſedis noſtri quæ didicere patres.
Surgit ab integro priſci jam temporis ætas:
Et nihil eſt cœli ſub regione novi.
Veſpertina iterum Baalitas ſacra dederunt
Mortibus: Eliæ bis valuere preces.
Veſpertino iterum Daniel dum tempore fleret,
Conqueritur Babylon mœnia lapſa ſua.
Cum populus Phariis exiret finibus exul,
Et caderent natu maxima, veſper erat.

Tem-

Tempore quo cæſus fuit agnus, cæditur hoſtis:
Fortior eſt armis militibuſq; fides.
Principis in titulos ſua Dathan ora reſolvit:
Moxq; reſolvebat tartarus ora ſua.
Non impune furens turbat jejunia Zimri:
Miſcuit & lachrymis turpia ſcorta piis.
Ille ſacerdotis transfixus arundine ventrem,
Dedidicit ventri ſolvere vota ſuo.
Filius Aaronis cœleſti concidit igne,
Dum vetito audaces inſtruit igne manus.
Deſine mirari fractum ſua membra Dagonem:
Ædibus idoli non procul arca fuit.
Mille Paleſtinos lætantes tempore faſto,
Atria præcipito lapſa dedere neci.
Dum vino implentur, certantq; illudere cæco,
Vltima lux illis, ultima cœna venit.
Exitio dedit VZZiam temerarius auſus:
Fœderis eſt ſignum lædere grande nefas.
Aßyrius cadit ante aras, confoſſus ab illis,
Quæis dederat ſolis lumine poſſe frui.
Auſus es æternum qui voce laceſcere patrem,
Cogeris à natis ipſe ſilere tuis.
Cum vitulo Galilæe tuo mactaris ad aras:
Nil ſacra ſacrilegum, nil pia vota juvant.
Parce precor tanti ſceleris damnare Pilatum:
Impietas illi tradidit arma tua.
Contudit octodecim turris Siloentis ad undam:
Alter in alterius ſanguine cæſus erat.

Nil magis aſpectu dirum, nec triſte relatu:
Talia me ſantem languor & horror habet.
Excidii tanti fuerit quæ cauſa requiris?
Excidii cauſam pagina ſacra docet.
Cauſa quod errorem moniti renuere fateri:
Nec compenſarent facta priora novis.
Hei mihi quā ſurdas damus his monitoribus aures!
Hei mihi quàm paucos hæc documenta movent!
Ipſe locus vobis poterat prædicere cladem:
Pullatis patuit fratribus illa domus.
Non ſine ſanguinibus Ierichnutis mœnia ſurgunt:
Illa immunda domus pars Ierichnutis erat.
Execrare latina cohors, tua numina vana:
Numina cultori pernitioſa ſuo.
Corde timete Deum, meritis non fidite veſtris:
Nil caro, nil ſanguis, quod ſibi ſumat, habet.
Forma crucis vobis Deus eſt, & Imago magiſtra:
In foveam cæcos cæca magiſtra trahit.
Eſt vobis Papa rex hominum, Chriſtiq; ſacerdos,
Vnum non uno cingitur enſe latus.
Chriſtus homo tanto ſe non dignatur honore:
Cui potior regno mors maledicta fuit.
Creditis eſſe Papā, (quod mens memorare refugit)
Semideumq; virum, ſemivirumq; deum,
Æde ſedet Domini, Domini nequiſſimus hoſtis,
Imponens animis jura moleſta Papa.
Avocat à ſcortis præſul per ſcorta Latinus:
Pejor & eſt morbis ipſa medela ſuis.

Pabula

Pabula perpetuæ vitæ Scriptura miniſtrat,
Vnica Scriptura eſt fons ſalientis aquæ.
Tradita ab antiquis, quorum latet abditus autor,
Vultis non ſcriptis eſſe minora ſacris.
Pagina non alios memorat divina receſſus,
Quàm cælum ſupra, ſubtus inane chaos.
Tertia finguntur vobis loca, tertia regna:
Ex orco redimunt flamma, numiſma, preces.
Si vellem verbis Miſſæ comprendere fraudes,
Deficeret, citiùs, quàm mihi ſermo, dies.
Quid mihi mutati narras miracula ſigni?
Poſſe Deum fateor, tu modo velle proba.
Panibus & vinis dum tu miracula fingis,
Ex uno ſigno tu duo ſigna facis.
Portentum te grande facis mirabile viſu,
Quale nec ulla tulit, nec feret ulla dies.
Quis tam præcipiti captus vertigine mentis,
Se putet ut paſci numine poſſe ſuo?
Cyclopas damnas humano ſanguine plenos,
Iudicio peccas turpius ipſe tuo.
Vna Redemptoris perfecit victima munus:
Res ſemel acta fuit, res ſatis acta ſemel.
Hoſtia ſacrificus toties quam format & offert,
Abnegat immenſam vim meritumq́; Crucis.
Hoſpes es ipſe tibi, te non intelligis ipſe:
Murmurat ignotas dum tua lingua preces.
Eſſe putas æquum Deus ut tibi præbeat aures,
Auris cum precibus ſit tua clauſa tuis?

Annua

Annua res animis confeſsio torta miſellis,
Carnificis partes auricularis agit.
Quis numerando queat vitæ concludere lapſus?
Hac tamen offertur conditione ſalus.
Sabbata divinis operis conceſſa canendis,
Sunt teneræ carnis luxurioſa quies.
Necligitis præbere ſacris ſermonibus aures:
Necligitis vita teſte probare fidem.
Non ego vos damnans auſim nos ſolvere culpa:
Cultus non paucis ſentibus horret ager.
Romanos intra muros peccatur & extra:
Immites unas mittit uterque locus.
Illos fortè reos facit ignorantia cæca:
Quo minor aſpirat gratia, culpa minor.
Indignos venia nos indulgentia reddit:
Nos premit in medio flumine, mira ſitis.
Quam ſibi relligio fidam ſpondebat amicam,
Hei quod non peperit pax diuturna ſcelus!
Hoſpitium quæ juſtitiæ præbere ſolebant,
Quas fora non fraudes & malefacta fovent?
Ille equitis titulus quondam virtutibus emptus,
Pro turpi ut meretrix proſtat ubique lucro.
Lumine clerus eget vel idem ſub tegmine condit:
Neſciat ut populus quæ ſit eunda via.
Captat agris lepores, verbiſque Propheta lepores:
Ingenio accendit thus genioque ſuo.
Concio præfractis animis inventa domandis,
Non domat: à ſolita nec feritate vocat.

Dum

Dum medicus timet ægrotis afferre dolorem,
Vulnera curando deteriora facit.
Aurea credideris nunc ſæcula: flumine lactis,
Flumine jam mellis culta ſacella fluunt.
Ferrea ſunt potius nunc ſæcula, molliat ignis
Nullus ab altari ferrea corda virûm.
Hei quas et quoties expallens audio diras!
Immerſos vinis angulus omnis habet.
India ſerpentes nocuos ſubmittit & herbas:
Sed min⁹ eſt ſerpens, quàm gravis herba, nocens.
Attrahit, expellens falſo medicamine, morbum:
Subducit ſuccum corporis, haurit opes.
In nihilum verſos videas dominosq́ domusq́:
Scilicet eſt fumus fortior igne ſuo.
Flamma domos, Dominos incendit fumus inanis:
Et dulcem mortem per ſua tela petunt.
Noſtra ſed has ſordes eccleſia damnat & odit,
Non tanta impietas tollit inulta caput.
Nos noſtriq́ hoſtes trutina ponantur eadem,
In tenebris noſtris pars bona lucis erit.
Iudicis ira gravis merito vos fuſte coercet,
Dum nos caſtigat candida virga patris.
Curia ſubmovit, gravis & cenſura doloſos:
Evulſis ſpinis fundit agellus opes.
Quaſſa ratis nocuos tumidas immiſit in undas:
Ejectis nocuis, ſiſtitur ira maris.
Vt tandem gravior vindicta coerceat hoſtes,
Ædibus à propriis incipit ira patris.

Non

Non datur hoc meriti pretium ſed munus amoris,
Nos ambit bonitas immeritusq; favor.
Quas referes grates plebecula lapſa periclis?
Concipies animo quæ pia vota tuo?
In melius converſa tuæ ſit ſemita vitæ:
Omne ſit ingratum, quod modo dulce fuit.
Id tibi ſit pulchrum, mundi quod ſordet ocellis:
Pes tuus, hic mundus quæ vocat ampla, premat
Effinxit natura tibi cum corpore pectus,
Affectet melior pars meliora lo[illegible].
Editus è cœlis animus cœleſtia cu[illegible]:
Natalis memorem te decet eſſe ſoli.
Deſine corporeis in corpore legibus uti:
Et nihil humanum mens animuſq; probet.
Ardua res non eſt, Chriſto duce & auſpice Chriſto
Corporis atq; animi jura novare tui.
Spiritus æternus, penes eſt quem ſumma poteſtas
Defunctas animas vivere poſſe facit.
Hic labor, hoc ſit opus, commiſſum reddere pignus
Pactis ſtare licet triſtia damna feras.
Parcere ſupplicibus, vinctis laxare catenas:
Veſtitum nudis, & dare tecta vagis.
Ad dominos redeat collecta pecunia prave:
Vſibus aut ſaltem ſerviat illa piis.
Emptus ſit ſemper ſomnus ſudore, nec unquam
Ante ſitim potus, nec cibus ante famem:
Sit Levita tibi vita jucundior ipſa:
Eſt animæ cuſtos ſponſor & ille tuæ.

Qui

Quiſquis egere vetat, cogit vigilare Prophetam
  Immenſum calcar vatibus addit honor.
Ignes thuri cremos accendat veſper & ortus:
  Ignes ex ara non aliunde petas.
Septima lux opera non eſt violabilis ulla:
  Septimus eſt duplici dignus honore dies.
Illud prima tibi dedit incunabula tempus:
  Redde Creatori debita ſacra tuo.
Illa reſurgentem teſtantur tempora Chriſtum:
  Redde Redemptori debita ſacra tuo.
Hunc Dominum ſi mente coles & voce vocabis,
  Ille tibi clypei, ſolis & inſtar erit.
Si tua ſit patefacta Dei ſermonibus auris,
  Hujus erit votis auris aperta tuis.
Virga ſacerdotis ſubmittat amygdala, virga
  Iudicis è dura rupe miniſtret aquas.
Ergo Roma dole, Carthago funde querelas:
  Doctrina eſt illi, vita dolenda tibi.
Senſibus hanc imis fatalem conde ruinam:
  Contingat ſimili ne tibi clade premi.
Quæ loca non implent incendia, bella, rapinæ?
  Solus non implet pectora noſtra dolor.
Æger & infirmus non eſt miſerabilis ulli,
  Pocula qui medici temnit amara ſui.
Cui non incutiunt aliena exempla timorem,
  Mox ipſe exemplum triſte timoris erit.
Turba, tremens moneo, meliora capeſſe ſuperſtes:
  Contingat patriæ ne ſupereſſe tibi.

Richardus Hord. Cantab. Socius quondam
Iohannenſis Coll.

Augurium non vanum.

PArva vides domus hæc momento concidit uno,
Vna crede hora Roma ſuperba ruet.

SAw'ſt thou this roome in a moment fall?
Beleeue in one houre great Rome ſhall.

Vel ſic.

PArva viden' dom⁹ hæc ut in hora labitur una,
Vna crede hora Roma ſuperba ruet.

Aliter.

PArva licet magnis componere, ſæpe videmus
Magnorum in parvis rebus ineſſe fidem.
Parva velut domus hæc momento concidit uno,
Mole ſua caſum paſſa repente gravem.
Sic urbs quam dicunt Romam, hora corruet una,
Vi vitioq́ ſuo, moribus ipſa ſuis.

S. W.

C 13806 SL
88314

REPRODUCED FROM THE COPY IN THE

HENRY E. HUNTINGTON LIBRARY

FOR REFERENCE ONLY. NOT FOR REPRODUCTION